Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31300
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Dumqz ei cultum dare singularem
Logitat. pulchris Areten capillis
Forte prospexit spaciosa solam
Ire per arua
Namqz flammantis meditans Olympi
Lumen ⁊ cursus Arete volantes.
Nomen aptabat numerumqz claris
Addidit astris
Jam maris fluxum tumidosqz fluctus
Norat ⁊ quare tremebunda tellus
Fluctuet. quare iaculetur aer
Nubilus ignes.
Norat ⁊ linguas hominumqz mores
Et quibus falli solet ⁊ refelli.
Ueritas tecto male nota vultu
Norat elenchos
Fecerat nostre documenta vite
Et quibus celi peteremus arcem
Sortis humane miserata casum
Fecerat artes
Hanc Deus menti comitem ducemqz
Fecit. vt casus patienter omnes
Ferret. ⁊ nullo scelerum tumultu.
Deiceretur.
Ipsa nos duros vocat in labores.
Nec dies nobis sinit ociosos.
Hoc ait nostros petijsse celum
Calle parentes

¶ Hermanni Buschij Monasteriensis Oda Lyrica. de Uirtute

IPse cum solus varios retracto
Exitus vite studiumqz nostre.
Dispar. ⁊ curas sibi dissidentes
Cassaqz vota.
Rideo partos hominum triūphos
Regium nomen. nitidamqz rubri.
Littoris concham. tyrioqz pictas
Murice vestes
Rideo quicquid legit Astur auri
Fertiles campos lybie Sabei
Pulueris fumos. Solymiqz munus
Balsama regni